

Aloes optimæ ʒ.ij.  
Rheubarbari electi ʒ.iiij.  
Cinnamomi,  
Garyophyllorum,  
Spicæ ana ʒ.j.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, postea cum succo rosarum puro aspergatur, & dimittantur exiccari, atque ita iteretur septies. Postea cum melle rosato fiat magdaleon, de quo fiant pillulæ singulis vicibus numero tres pro ʒ. vna: ex quibus sumat vnam per horam ante cœnam, sine custodia, semel in septimana. Deinde permittet sua cauteria in brachiis, sicut sunt aperta: imò si adhuc his omnibus peractis materia descenderet, laudo vt cauteria etiã multiplicentur, & duo fiant circa pulpam & partem carnosam vtriusque spatulæ: circa verò locum nasi, ego nollem transire vnguentum infra scriptum, si quandoq; vlcus aliquod emergeret, vel perseuerarent reliquæ antiquorũ. Descriptio vnguenti talis est:

R. Tutia optimæ præparatæ ʒ.j.  
Succi solatri, succi plantaginis depuratorum ana ʒ.ij.

Olei rosati completi ʒ.iiij.

Atteratur tutia diligentissimè in mortario plũbeo cum pistillo plumbeo: postea paulatim addantur succi, & oleum rosatum semper magis ac magis confricando cum dicto pistillo per totum diem: vltimò addatur modicum ceræ liquefactæ, & fiat linimentum pro loco. In singulis septimanis fiat capitis ablutio talis:

R. Lixiuij dulcis quantum sufficit pro vna vice, atq; in eo decoquatur agarici ʒ.j.

Rosarum,  
Maioranæ,  
Betonice ana man.j.

Et cum hoc lixiuio, & aliquo sapone aromatico abluat caput.

#### CONSILIVM CXVIII.

*De apostemate maligno, polypo scilicet in naribus, ad cancrũ accedente, obseruatio 1546. mense Maio.*



As vs. Nobilis hic annorum triginta, toto reliquo vitæ suæ spacio sanus, & quoad sibi videtur optimæ constitutionis, sub annũ ætatis duodecimum, incidit in fluxum sanguinis narium, sine aliqua causa extrinseca notabili. Nihil enim in victus ratione mutauerat, nisi quòd vino vteretur paulò meraciore, non vltra modum tamen: sanguis effluens, sicut & quæ hodie effluunt, ei frigidiora videntur. Is fluxus cum diu duraret, ac quotidie etiam augeri videretur, ac postmodum cum se in Italiam contulisset, in tantum cresceret, vt quotidie tribus vel etiam quatuor vicibus sanguis è naribus flueret, sine aliquo tamen capitis dolore: eò molestiæ perduxit hominem, vt cum nouem annis continuis per eam corporis partem natura se exonerasset, ipse contrarium planè conaretur: & cum fluxum vi sistere intenderet, cõsuluit Vrbinum, qui tunc Patauij primus erat, sub annum

**A** ætatis 21. qui etsi omnino dissuaderet, & hæc incommoda quæ interim secuta sunt, omnia prædiceret: precibus tamè eò perductus est, vt exhibitis medicinis per os, & aperta vena sine localibus sanguinem sisteret. Ipse paulò post bene secum putans agi, sine aliqua victus ratione vixit. Sanguis autem qui per nares effluere solitus erat, cū illic impediretur, alias quæsiuit vias. Ac primò aures infestans, meatusque illos obstruens, sensum auditus per sex fermè menses plurimùm impediuit: tentauit & oculos, nihil tamen neq; hîc, neque illic effluxit. Vltimò vsitatam suam viam aggressus per fauces, & per os partim effluxit, partim in naribus refedit, & condensatus est: ita vt cum vi digitis inde eruere conaretur, nares eo pacto quo apparet, deformaret. Hoc ad quinq; ue annos post illam suppressionem sanguinis factum est: in quo toto tempore nulla adhibuit remedia alia, nisi quòd venas interdum aperuit (sub lingua etiam quandoque, id ter vel quater in anno) & corpus Medicorum consilio aliquoties leniter purgauit. Iam quartus annus agitur, ex quo sanguis ille, qui narium meatus (sicut dictum est) obstruxerat, nescio quo pacto colliquatus est, & ipse ad hunc defluxum humiditatis cuiusdam continuum deuenit, ex quo primùm alæ narium ruptæ, & deinde apostemata, quæ sub naribus apparent, orta sunt. Continuè enim fluit, & eum molestat, nisi panis lineis nares obstruat. In hoc tempore à Chirurgis variè vexatus est: semel potus digni illi exhibitus est: bis suffumigia duodenis septimanis pertulit: aliquoties etiam pulueribus erodentibus succurrere apostematibus voluit: nihil profecit tamen, sed potius fluxum augeri & validiorem reddi, malumq; latius serpere sensit: ciborum delectum nullum vnquam habuit, nisi quòd carne porcina abstinuit. Vino satis grandi, non nimis tamen immoderatè vsus est, in somno & reliquo totius corporis habitu nihil planè sentiens incommodi.

#### MONTANVS.

Dixit, fluxum illum à causa extrinseca violèta, scilicet sanguinis obstructione ortum: ac Vrbinum dupliciter peccasse, non solum quòd fluxum represserit, sed quòd eo represso fluxu, nullum regimen vitæ ordinarit, nec alias diuersiones fecerit. Esse apostema illud polypum, completum ex materia adusta, melancholica, maligna, accedere ad cancrũ vlcerosum. Victus ratione exquisitiore vti voluit, abstinere à carnibus antiquis & salitatis, bubulis etiam & porcinis, ab omni genere pisciũ: à caseo & lacticiis omnibus: à frictis in sartagine, leguminibus, & omnibus herbis, comedere tamè carnes vitulinas, hœdinas, pulli iuuenis: far quoque bene coctum, iura pulli & gallinarum oua recentia, sorbilia, non dura nec fricta. Vinum bibere tenue, album, pauciferum. pro euacuatione corporis, lenitiuum dedit.

R. Electuarij lenitiui ʒ. xij.

**G** Bene operatum est, & tinnitum aurium, quem aliquot diebus senserat, remouit syrupus.

R. Syrupi de fumo terræ,  
Syrupi de pomis simpl. ana ʒ. s.

Syrui